50 At verius existimo has alienationes valere mero jure; dicuntur autem non valere, ac esse nullius momenti, quatenus in fisci præjudicium cederent, perinde enim eas retractare potest, ac si factæ non essent. Et ita explicandi sunt textus allegati *n.* 48. pro prima sententia & forsan hoc volunt Doctores *ibi* relati. Ducor, quòd hæretici, & alii, quorum bona ipso jure publicantur, sint veri suorum bonorum domini: juxta veriorem sententiam, quam *num.* 3. defendimus: & esto ampleclemur contrariam dicentem eos non esse veros dominos, retinent tamen legitimam bonorum suorum administrationem, donec damnentur: at hæ alienationes ad administrationem pertinent. Nec alicujus est momenti distinctio inter hæc delicta, quando timetur, aut non timetur publicatio, quam Recentiores *numero præcedenti* relati tradunt. Quia jura has alienationes interdicentia, inter neutrum casum distinguunt. Ergo vel in utroque, vel in neutro est dicendum eas esse irritas. Præterea, quia si dicant eas esse irritas rationes privationis dominii, id utique in utroque casu eamdem irritationem probat. Quòd si dicas rationem esse, eò quòd dolus dederit causam contractui, quando prædictus timor subest: hæc ratio non innitur prohibitioni alienandi, sed est quædam ratio universis contractibus communis, nec ea probaret universas alienationes esse irritas, sed solas titulo oneroso factas. Et ideò hanc sententiam tradunt *Bannez* 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 2. *colum. penultima*, *in solutione ad* 4. *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *articul.* 5. *disputat.* 171. *capit.* 2. *numer.* 9. *& sequent. Azor. tom.* 1. *instit. moralium*, *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 7. *in fine*. Quod idem satis apertè indicat *Molina tom.* 1. *de instit. disputat.* 95. *colum.* 10. *vers. Licet autem hæreticus*, ubi ait, has alienationes esse nullius momenti, ad effectum, ut fiscus non occupet omnia bona alienata. Quidquid tamen in hoc sit, id tamen est dicendum, ut hæ alienationes valeant ad eum effectum, ut possessor, quantumvis conscius hæresis alienantis, non teneatur in foro conscientiæ res illas restituere fisco. Quia nec hæreticus ad id tenebatur. Ut probavimus, *numer.* 7. & dicemus, *num.* 52.

51 Plurimùm autem distat, uno, vel altero modo loqui: (ut benè ait *Vasquez eodem numer. nono*) quia si dicamus alienationes esse ipso jure irritas, tertius ille possessor non fieret dominus fructuum ex iis bonis acquisitorum: cum ex alienatione illa nullum jus in ea bona compararit. Secùs autem si dicamus irritandas. Quia tunc comparat idem jus, quod hæreticus habebat: ac proinde sicut hæreticus non tenetur ea bona restituere, donec condemnetur, ita & tertius ille possessor.

52 Ex his deducitur primò, tertium illum possessorem, quamvis tempore alienationis fuerit conscius delicti patrati, non teneri ea bona restituere, sive titulo oneroso, sive gratioso ea acceperit. Quia cum acquirat idem jus, quod hæreticus in ea habebat: sicut non tenetur hic ea ante sententiam fisco restituere, ita nec ille.

53 Secundò deducitur solutio illius quæstionis, an fiscus publicans bona delinquentis tenetur stare locatione per ipsum facta? Qua in re communiter sic distinguitur, si publicatio sit alicujus rei particularis, ut fundi, non tenetur fiscus stare locatione, & ita potest expellere inquilinum: secùs si confiscatio sit universalis. Quia tunc reputatur ut universalis successor. Et juxta hanc distinctionem intelligitur textus *l. Si fundus*, 36. *ff. locati*. Et tradunt *Baldus ibi*, *ante numer.* 1. *notabili* 2. *in fine*, *& l. Divortio*, 8. *in princip. numer. unico*, *versic. Quæro de fisco*, *ff. soluto matrimon. ubi & Jason numer.* 36. *Antonius Gomez tomo* 2. *var. capit.* 3. *numer.* 10. *in fine*, *Peregrinus de jure fisci*, *libro* 5. *tit.* 1. *numer.* 74. *Azev. libr.* 5. *recop. tit.* 9. *lib.* 10. *numer.* 16. idem dicit *Anzon. Gomez*, quando confiscatio esset alicujus quotæ bonorum, tunc enim ait teneri eum stare locatione, veluti quando in universa bona succedit. Deinde limitat *Antonius Gomez*, ut teneatur fiscus universaliter succedens stare locatione, quando bona non publicantur ipso jure, sed per sententiam, secùs quando ipso jure. Quam distinctionem intelligit *Azevedo eo numer.* 16. quando locatio facta esset post delictum commissum: nam quando ante illud est facta, dicit teneri fiscum indistinctè stare locatione. Quia potuit justè fieri, & nullum jus in ea bona habebat fiscus. Et id mihi placet.

54 Secunda difficultas est. An alienationes necessariæ possint fieri ab hæretico, & aliis, quorum bona publicantur ipso jure, & quibus interdicta est administratio à tempore delicti, ita ut fiscus nequeat eas revocare? Aliqui id concedunt, quando administratio est interdicta; at negant, quando bona publicantur ipso jure. Ducuntur, quia cum à die commissi criminis transferatur dominium in fiscum, quando bona ipso jure publicantur, jam ea bona ex tunc non sunt hæretici: ac proinde nequibit ex eis, tamquam ex bonis alienis se alere. Item, quia hæreticorum filiis denegantur alimenta ob crimen paternum. Ergo à fortiori ipsi hæretico. Sic videtur tenere *Bart. l. Post contractum* 15. *numer.* 11. *ff. de donat.* cum enim duplex membrum posuisset, prius, quando bona non publicantur ipso jure, sed sola administratio interdicitur: posterius, quando publicantur ipso jure, concessas in priori membro has alienationes necessarias, & ita videtur negari in posteriori. Et eodem modo loquuntur *Romanus ibi*, *num.* 10. *Cuman. statim in princ. Salic. l. Si quis posthac*, 9. *in principio*, *num.* 6. *in fine*, *&* 7. *C. de bonis proscript. Tab. in summa*, *verbo*, *Assassinus*, *quæst. unica*, *num.* 4. Atque in propriis terminis docent *Alciat. ea l. Post contractum*, *nu.* 19. *& Quemada in suis quæst. fiscalib. q.* 7. *ad finem*.

55 At dicendum est, posse eas alienationes ab omnibus his fieri. Quia interdicta alienatione non censetur interdicta necessaria, sed voluntaria, *l. Alienationes* 13. *ff. famil. erciscunda*, ibi: *Alienationes post judicium acceptum interdictæ sunt, dumtaxat voluntariæ, & l. Peto*, 71. §. *prædium*, *ff. de legat.* 2. ibi: *Si non voluntaria*. Nec obstant in contrarium adducta. Quia esto concedamus transferri statim dominium in fiscum, transfertur utique cum hoc onere, ut dum sententia declaratoria criminis non fertur; integrum sit his criminosis has alienationes necessarias facere, nec illis, nec eorum filiis denegantur alimenta, nisi post sententiam secutam. Et ideò posse has alienationes ab his fieri, tradunt *Montep. ea l. Post contractum*, *num.* 72. *& ibi Annibal*, *n.* 268. *Ang. in summa*, *verbo*, *Pœna*, *n.* 3. *Sylv. verbo*, *Hæresis*, 1. *q.* 8. *n.* 14. *vers. Unde donatio*, *Covar.* 4. *Decret.* 2. *p. c.* 6. §. 8. *num.* 9. *Victoria relect. priori de Indis insulanis*, *n.* 15. *Sot. l.* 1. *de just. q.* 6. *art.* 6. *concl.* 4. *Ant. Gomez*, *tomo* 3. *var. c. ult. num.* 4. *Peregrin. de jure fisci*, *lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 166. *&* 176. *Bess. in sup. præl. tit. de bonorum publicatione*, *numer.* 77. *Simanc. de cathol. instit. tit.* 9. *num.* 33. *& seqq. Villagut. de extensione legum*, *tit. de extensione legum penalium inflictarum hæreticis*, *ad eorum filios*, *n.* 133. *Cord. in suo quæst. lib.* 1. *quæst.* 36. *col.* 2. *notab.* 2. *vers. Quod si crimen*, *Angles Florib.* 2. *p. quæst. de restitut. legis penalis*, *in princ. concl.* 6. *Molina* 1. 1. *de just. disp.* 95. *col.* 10. *versic. Licet autem hæreticus*, *& col.* 11. *versic. Ex dictis*, *Bannez* 2. 2. *q.* 12. *art.* 2. *column. antepenultima*, *coroll.* 1. *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *fol.* 348. *column.* 1. *vers. Et si quis objiciat*, *Scaccia lib.* 1. *de judiciis*, *cap.* 98, *num.* 16. *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *artic.* 5. *disputatione* 171. *cap.* 1. *num.* 1. *Azor. tomo* 1. *instit. moralium*, *l.* 5. *c.* 7. *q.* 7. Quam ob rem optimè dicunt *Covarr. & Molina ibidem*, has alienationes necessarias, utpote quæ sunt legitimè factæ, non posse à fisco revocari.

56 Computantur autem alienationes necessariæ, si hæreticus solvat debita suis creditoribus, *l. Sed nec illud* 42. *ff. de solut.* ibi: *Sed nec illud prohibitum videtur, ne à reo creditori solvatur*. Ita *Montepicus*, *num.* 76. *Simancas*, *num.* 33. *Peregrinus*, *num.* 179. *Antonius Gomez*, *Scaccia*, *Corduba*, ubi eos *numer. præcedenti* retuli. Quod rectè intelligit *Quemada quæst. fiscalibus quæst.* 7. quando fiscus eis creditoribus solvere tenebatur. Quando autem id contingat, dicemus à *numero* 74. Et ratio est, quia in hoc eventu res fisci agitur, & ad quam jure naturæ tenetur delinquens. Item quando res aliquæ alienantur ad alendum se. Ita *Bart. Salic. Cumanus*, *Tabiena* allegati, *numer.* 54. *Montepicus numer.* 72. *Annibal.*, *Angelus*, *Sylvest. Victoria*, *Sotus*, *Covarr. Antonius Gomez*, *Bessius*, *Simancas numer.* 35. *Corduba*, *Scaccia*, *Angles*, *Villagut. Molina utroque loco*, *Vasquez*, *Azor. Bannez*, *Aragon. numer. præcedenti* allegati, *Gregor. Lopez lib.* 2. *verbo*, *Valdria tit.* 4. *part.* 5. Atque idem est dicendum de alienatione pro sustentanda familia. Ut benè tradunt *Annibal*, *Simancas*, *Bannez*, *Aragon. Scaccia*, *Vasquez*, *Molina ea coll.* 11. *versic. Ex dictis*, *Azor. ibidem*. Quare idem est dicendum de alienatione pro valetudine suorum, aut sua, & pro funere. Ita *Simancas numer.* 379. Et ratio est, quia usque ad sententiam criminis declaratoriam jus habet hæreticus se, & suam familiam alendi. Hæc autem nomine alimentorum clauduntur. Præterea quando alienatio est pro causa defendenda. Ut pro advocatis, scripturis, ac aliis litis expensis. Quia ne reus defensione destituatur, expensæ litis sunt ex ejus bonis deducendæ. Ita *Bart. Montepicus*, *numer.* 72. *Annibal*, *Salic. Cuman. Tab. Greg. Lopez*, *Bess. Pereg. numer.* 279. *in fine*. Quod intelligitur de expensis litis circa id crimen. Ut benè *Salic. ibi*. Idemque est dicendum de expensis litis pro tuendis rebus suis. Quia hoc in fisci utilitatem cedit. Tandem idem est dicendum de alienatione pro recuperandis, ac conservandis bonis. Quia cedit in fisci utilitatem. Ita *Simancas numer.* 36. *Antonius Gomez*, *& Scaccia ibidem*.

57 Inter has alienationes necessarias computat *Peregrinus eodem tit.* 1. *numer.* 177. quod pro dotandis delinquentis filiabus consumitur. Quia ad has dotes ait fiscum teneri. At jure optimo id negant *Montepicus ea l. Post contractum*, *num.* 74. *Bessius eodem tit. de bonorum publicatione*, *n.* 77. Et optimè concludit *Montepicus n.* 75. non reputari alienationem necessariam factam pro quibuscumque aliis causis necessariis. Quia ad nullas alias præter declaratas *n. praced.* tenetur fiscus ea bona vindicans.

58 Tertia difficultas est. An hæreticis, & aliis, quorum bona ipso jure publicantur, liceat ante sententiam ea alienare? Quidam id absolutè damnant. Quòd illis alienatio interdicta sit: ut constat ex *legibus* allegatis *numero* 48. Præterea quia sit absque fisci consensu, qui verum eorum bonorum dominium à die delicti comparavit. Demum, quia cum eo delicto cognito fiscus sit revocaturus prædictas alienationes, hæreticus alienando peccabit, utpote qui est ejus damni accipientibus pullulaturi causa. Ita tradunt *Joannes à Metina de restitut. quæstio prima* §. *Post rerum dominium*, *versic. Ad propositum igitur*. *Sayro in clavi regia*, *lib.* 3. *capit.* 9. *numer.* 30. *Angles Floribus*, 2. *part. quæst. de restit. legis penalis in princip. concl.* 2. limitatque *conclusione* 4. nisi inde non sequatur detrimentum fisco. Quia tota (inquit) prohibitionis hujus ratio est id fisci detrimentum.

59 At dicendum est, nullatenus eos alienando peccare, si ita cautè alienent, ut nullum damni periculum imminear eis, in quos alienant. Ducor, quod quadruplici ex causa posset culpa in his alienationibus oriri. Prima est legum prohibitio. At ex hac non consurgit culpa in hoc casu. Quia ut optimè observat *Vasquez* 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *disp.* 171. *cap.* 2. *num.* 13. quando verba legis potiùs feruntur in actum, quàm in personam, non interdicitur actus tamquam peccatum: sed potiùs lex disponere videtur circa firmitatem, & robur ipsius actus. Ut contingit in legibus interdicentibus actum absque juris solemnitatibus, ut testamentum minùs solemne, non dirigendo prohibitionem ad personas: non erit enim culpa eum suis solemnitatibus omissis facere, sed firmitate carebit actus ille. Sed tunc tantùm ad culpam obligabit, quando prohibitio dirigitur ad personas. Et hoc est quod dicunt *Barrol.* & multi alii, quos referam *capite sequenti numer.* 164. nempe, duplex esse jus quoddam, quod non assistit contractui, nec tamen illi resistit: idest, quod illum nec fovet, nec prohibet: aliud verò quod illi resistit, interdicens illum fieri. At *leges omnes num.* 48. relatæ hanc alienationem interdicentes non referuntur ad personas, interdicendo ipsis alienationes, sed ad ipsamet alienationes, destituendo illas firmitate irrevocabili, & sic jus non assistit illis; nec tamen resistit, ut in testamento minùs solemni evenit. Ergo ex hac causa non consurget culpa. Secunda causa esse potest ratio dominii fisci in ea bona, absque cujus consensu fit alienatio. Sed nec ex hac causa consurgit culpa: tum quia verius est, hæreticos manere dominos ulque ad sententiam (ut *nu.* 3. diximus) tum etiam, quia esto dicamus amitti dominium, non tamen amittitur administratio, quæ satis est ad liberandas culpa alienationes. Tertia causa est damnum imminens possessori, in quem fit alienatio. Et quidem quando ejus damni periculum est, fateor esse culpam: & ideò dixi licere has alienationes, cum hoc temperamento, ut damnum proximi vitetur. Ultima causa est damnum fisci. At ex hac non consurgit culpa: quia cum fisco integrum jus maneat revocandi alienationes secuta sententia, ac si factæ non essent, non infertur damnum fisco. Adde hos non esse fisci procuratores, ut teneantur ipsi conservare bona, sed solùm tenentur nil in ejus fraudem moliri, & ubi damnati fuerint, ei reddere bona. Et ideò hanc sententiam sustinent *Adrian. quodlibet* 6. *art.* 1. *litera L. post* 3. *corollarium*, *versic. Circa hoc nota*, *Angel. in summa verb. Pœna*, *num.* 3. *Sylv. verb. Hæresis* 1. *q.* 8. *n.* 14. *vers. Unde donatio*, *Victoria relectione priori de Indis insulanis*, *nu.* 17. 18. *Navarr. summa Hispana c.* 28. *additione ad n.* 96. *c.* 23. *Covar.* 4. *Decret.* 2. *p. c.* 6. §. 8. *n.* 9. *Anton. Gomez tomo* 3. *variarum c. ultimo*, *n.* 3. *Simancas de instit. cathol. tit.* 9. *nu.* 28. *Corduba in suo quæstionario*, *lib.* 1. *q.* 36. *col.* 2. *notabili* 2. *Villagut. de extensione legum*, *tit. de extensione legum pœnalium inflictarum hæreticis ad eorum filios*, *n.* 133. *Bannez* 2. 2. *q.* 12. *art.* 2. *col. antepenult. coroll.* 3. *Aragon.* 2. 2. *qu.* 11. *art.* 3. *fol.* 348. *col.* 1. *versic. Et si quis objiciat*, *Molina tomo* 1. *de just. disp.* 95. *col.* 12. *versic. Tertium est*, *Azor. to.* 1. *institutionum*, *lib.* 5. *c.* 7. *q.* 7. *Vasquez* 1. 2. *qu.* 96. *art.* 5. *disp.* 171. *cap.* 1. *num.* 1. *Manuel* 1. *tom. summæ*, *in* 2. *editione*, *cap.* 130. *num.* 3. *Ludovic. Lopez* 1. *part. instruct. conse. cap.* 112. *conclus.* 4.

60 Atque quando in his alienationibus non cavetur damnum tertio imminens, est culpa lethalis. Ut constabit ex ratione tradenda *num. sequenti*. Et tradunt *Angelus*, *Sylv. Villagut. Molina* relati *num. praced.*

61 Hinc deducitur primo hujus culpæ reos esse, si titulo oneroso, ut vendendo, tradendo in dotem, &c. alienent, quando probabile periculum est, fore ut crimen ad forum externum deducatur, idque rei vitium non manifestatur tertio possessori, in quem alienatio fit: secùs autem, quando aut id periculum non subest, aut vitium manifestatur illi tertio. Ratio est, quia cessantibus his conditionibus, decipiunt recipientem, tradendo rem vitiosam, cum periculo amittendi rem, & pretium: at cum ea fraus cesset, aut quando non est id periculum, aut possessori illi tertio est cognitum, cessabit quoque culpa. Atque ita docent *Adrianus*, *Angelus*, *Sylvest. Victoria*, *Navar. Covar. Ant. Gomez*, *Villagut. Corduba*, *Molina*, *Azor. Vasquez*, *Bannez*, *Manuel*, *Ludovicus Lopez ibidem*, ubi eos *num.* 59. retuli. Inter hos contractus onerosos enumerat *Molina* commutationem. At meliùs *Azor.* ait non peccare, commutando, quando commutatio fit cum alis ejusdem æstimationis bonis. Quia non infertur damnum fisco, utpote qui rem æqualis æstimationis acquirit, nec commutanti, nam damnato hæretico, vel non spoliabitur re, quam in commutationem accepit, vel si spolietur, reddetur sibi res, quam tradidit. Quòd si adhuc periculum aliquod subsit, culpa erit. Ut de contractu gratuito dicemus, *num.* 63.

62 Secundò deducitur, publicos hæreticos in Septemtrionalibus regionibus habitantes, minimè peccare celebrando hujusmodi contractus cum catholicis. Quia timendum non est fore ut fiscus ea bona repetat, cum nec per judicis sententiam soleat ibi ea pœna executioni mandari. Præterea quia catholicos non latet se cum hæreticis contrahere. Ita tradunt *Victoria*, *& Molina* relati, *num.* 59. *Valentia* 2. 2. *disp.* 1. *qu.* 11. *puncto* 3. *colum.* 6. *versic. In Germania*, *Ludovic. Lopez* relatus *num.* 59.

63 Tertiò deducitur, quid in ea quæstione dicendum sit, an peccent hi alienando titulo gratioso, aut lucrativo, ut donando, mutuo dando, locando, non servatis conditionibus *num.* 61. traditis. Quidam eos peccare affirmant. Sic ultra *Joannem à Metina*, *& Sayro*, quos *num.* 58. retuli, tradunt *Ledesma* 2. *p.* 4. *q.* 15. *art.* 5. *paulo post principium*, *Valentia* 1. 2. *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 6. *qu.* 3. *versic. Ex quo deinde consequitur*. Et dubitat *Simancas de catholic. institution. tit.* 9. *num.* 28. At verius est hos culpæ immunes esse. Quia ante latam sententiam non privatur justo rerum suarum usu, qualis est hic: nec inde accipientibus damnum oritur, quippe qui tamquam bonæ fidei possessores, tantùm tenentur reddere fisco, quod apud ipsos extiterit, aut id, in quo ex illius rei consumptione locupletiores evasere. Ita *Angelus*, *Sylvest. Victoria*, *num.* 16. *Molina versic. Secundum est*, *Antonius Gomez*, *Ludovicus Lopez*, *Azor. Bannez coroll.* 2. *Vasquez num.* 2. *Corduba*, ubi eos *num.* 59. retuli. Erit autem (ut optimè ait *Molina ibidem*) vera prior sententia in duplici casu. Prior est, si ea donatio fiat in fisci fraudem. Quia agitur directè contra fisci jus, & quidem absque justa causa. Posterior est, si probabiliter credatur ex repentina horum bonorum per fiscum repetitione, deducto crimine ad forum externum, de quo est probabilis timor, fore ut alicujus damni emergentis jactura donatariis, aut mutuatariis sequatur, præter acceptorum restitutionem. Quod quidem raro admodum eventurum dicit benè *Molina ibidem*.

64 Quartò deducunt aliqui, nec hæreticum peccare vendendo bona, si penes se retineat pretium emptori reddendum, si crimen detectum fuerit. Quia tunc nullum emptori periculum imminet. Sic *Adrianus*, *& Corduba* allegati *n.* 59. Sed id reprobat *Angles Floribus* 2. *p. quæst. de restitutione legis pœnalis*, *in principio*, *conclusione* 5. Quia non modicum damnum emptor patietur, nam cogetur magna molestia, & sumptibus, probare pretium ab hæretico retineri, & hoc non probato, causa cadet. Et ideò meliùs *Angelus*, *Sylvest. & Villagut. numer.* 59. relati, hanc limitationem aliter appofuere, nimirum, ut tunc non peccent hi vendendo, quando alia bona non publicanda habent, quibus emptori satisfaciant. Quippe aliis habitis damnum cessat.

65 Quintò deducunt alii, nec hos peccare vendendo bona ad vitæ necessaria sibi, vel suis comparanda. Quia hujusmodi alienatio non nocet emptori, eò quod detectio crimine revocari nequeat. Ut diximus *num.* 55. Neque etiam nocet fisco, utpote qui bona occupans tenetur hos alere, donec damnentur. Ita docent limitantes regulam traditam, ut peccet hæreticus vendendo bona publicanda *Angelus*, *Sylvest. Victoria*, *Sotus*, *Antonius Gomez*, *Covar. Peregrinus*, *Bannez*, *Aragon. Molina*, *Azor. Villagut. Vasquez*, ubi eos *num.* 59. allegavi. Cæterùm etsi verum sit, integrum esse hæretico ob causam hanc necessariam bona alienare, & eam alienationem non posse à fisco revocari: non tamen credo id posse fieri in emptoris præjudicium, in quod utique cederet, non detegendo ei vitium rei illius venditæ, quando timetur deductio criminis ad forum externum. Quia quantumcumque alienatio fit necessaria, non modicum damnum patietur emptor crimine detecto: incumbet enim sibi probare, pretium illud conversum esse in eas alienationes necessarias, atque non modicis sumptibus, & molestiis gravabitur, quo rem sibi venditam, & à fisco vindicatam recuperet. Sicut ergo non licet hæretico, ut se alat, rem aliam vitiosam tacito vitio vendere, ita nec tacito hoc, quo detecto nullus emere auderet, aut saltem multò minori pretio emeret, ne personam ita potentem, ac tot privilegiis munitam convenire cogatur, qualis est fiscus, gratia rei sibi venditæ recuperandæ. Quare nullatenus est hæc limitatio regulæ traditæ, ut non liceat rem tacito vitio alienare. Sed dicendum est culpam in ea alienttione non detegendo hoc vitium reperiri.

66 Demum ex his infert *Angles Floribus* 2. *p. qu. de restitutione legis penalis*, *in principio*, *post* 2. *conclusionem*, peccare emptorem conscium hæresis, utpote qui emendo cooperatur peccato hæretici vendentis. Quod in 4. *conclusione* limitat, nisi emens, aut dono accipiens, secretam reddendi fisco cautionem præstet, ubi bona publicata fuerint. Sed dicendum est, nec eum peccare, nec opus esse ea cautione. Quia si ipse hæreticus non peccat vendendo emptori conscio ejus vitii, ut ea ferè omnium mente probavi, *num.* 59. & 60. nedum emens culpa vacabit: nec fisco damnum pullulat, quippe qui crimine detecto alienationem revocabit.

67 Ultima difficultas est. An fiscus vindicans à tertio possessore res alienatas ab hæreticis, vel ab aliis, quorum bona ipso jure publicantur, post crimen patratum, refundere ipsi pretium, quo rem illam emerat, teneatur? Quidam semper obligant fiscum ad id pretium refundendum. Ducuntur, quòd textus decidentes non restituendum pretium à revocantibus alienationem, loquuntur de creditoribus agentibus de damno vitando, quod ex illa alienatione in eorum fraudem facta ipsis redundat. At fiscus revocans tractat de solo lucro capiendo: & ideò quamvis dicamus eum comparasse à tempore delicti verum illarum rerum alienatarum dominium, nequibit rem illam vindicare tamquam verus dominus, nisi restituto pretio emptori. Id enim jus rei suæ revocandæ non restituto pretio; quando absque veri domini consensu est alienata, *l. Inci-*

Incivilem 2. *C. de furtis*, competit soli domino agenti de damno vitando. Secundò, quia patronus revocans alienata in sui fraudem per liberum tenetur indistinctè refundere pretium, *l.*1. §. *Si quis in fraudem*, *ff. si quid in fraudem patroni*. Et ideò hanc partem sustinent *Cynus l. Meminesse in fine*, *C. ad leg. Juliam majestatis*, *Rom. l. Post contractum*, 15. *n.*3. *ff. de donat. & ibi Imola num.*1. *Aleiat.* alios referens, ac latissimè probant, *ibidem à num.*21. *usque ad* 27.

68 At dicendum est, nullatenus adstringi fiscum ad reddendum id pretium, nisi ipsum, vel aliud loco ejus reperiatur tempore publicationis in horum delinquentium bonis, ea enim sola pars restituenda erit, ne fiscus rem, & totum ejus pretium, aut ejus partem, cum emptoris jactura habeat. Quod aliquibus textibus nituntur aliqui Doctores hujus sententiæ probare. Ut *l. Ejus rei* 47. *& l. Emptor* 65. *ff. de rei vind.* Sed meliùs probatur hac ratione, quod jus fisci antiquius sit jure emptoris: illud enim à tempore commissi delicti ortum est, at hoc à tempore venditionis post commissum delictum celebratæ. Ergo illud non debet esse pejoris conditionis hoc, ut emptori satisfiat de pretio nullatenus reperto inter delinquentis bona in pretium juris fisci, cui à tempore delicti res illa integra competebat. Et confirmatur, quia contractus posteriores quantumcumque bona fide initi nequeunt juri antiquiori præjudicare. Si quis enim bona fide rem alienam, aut alteri obligatam emat, emptio illa in nihilo præjudicabit vero domino, aut hypothecam habenti. Cum ergo fiscus à tempore patrati criminis habeat eorum bonorum dominium, juxta unam sententiam, aut juxta omnes illa bona sibi speciali nexu obligata, ut delecto crimine possit omnia occupare, venditio illa nullatenus ei juri nocebit: ac proinde minimè tenebitur fiscus ad pretium refundendum, nisi quatenus id, vel pars ejus reperitur in bonis delinquentis. Et ex his constat solutio ad contraria. Et ideò hanc partem sustinent *Bart. l. Si debitor*, 7. *in fine*, *ff. quæ in fraudem credit. Joan. Andreas*, *c. Cum secundum leges*, *in fine*, *de hæret. in* 6. *& ibi Anch. ante num.*1. *Dominicus ibi*, *in princ. nu. ult. & ibi Franc. nu.*5. *Idem Anch. c. fin. nu.*2. *notabili* 6. *de præscript. in* 6. *Cuman. l. Chirographi*, 58. *finali*, *num.*2. *ff. de administr. tut. Montepicus l. Post contractum*, 15. *num.*70. *ff. de donat. Repertorium Inquisitorum*, *verbo*, *Alienatio*, *paulo post principium*, *& versicul. Item quando*, *& versic. Item alienatio*, *Angel. in summa verbo*, *Pœna*, *num.*3. *Sylv. verbo*, *Hæresis*, 1. *quæst.*8. *num.*14. *vers. Unde donatio*, *Conradus de contractibus*, *tractatu* 1. *qu.*7. *concl.* 2. *Sotus lib.*1. *de justitia*, *quæst.*6, *art.*6, *concl.*4. *Gregor. Lopez lib.*4. *verb. Non deve valer*, *tit.*2. *p.*7. *Covar.* 4. *Decret.* 2. *p.* c. 6. §. 8. *nu.* 9. *Bossius in sua practica*, *titul. de bonorum publicatione*, *nu.* 77. *Ant. Gomez tomo* 3. *variarum*, *cap.*2. *nu.* 2. *Cordoba in suo quæstionario*, *lib.* 2. *quæst.*36. *colum.*2. *notabili* 2. *Simancas de catholicis institut. tit.*9. *à nu.*27. *usque ad* 38. *Bursatus consil.*289. *nu.* 11. *volum.*3. *Scaccia de judiciis*, *lib.*1. *capite* 98. *nu.* 16. *Penna in directorio Inquisitorum* 2. *par. in glossa Archidiaconi*, *super* 6. *Decret. c. Cum secundum leges*, *de hæret. nu.*7. *Quemada in suis qu. fiscalibus*, *quæst.*7. *Decianus in practica criminali*, *lib.*5. *c.*44. *nu.* 4. *Meres de majoratu*, *in priori editione p.*4. *qu.*23. *num.* 71. *Villagut. de extensione legum*, *titulo de extensione legum penalium inflictarum hæreticis ad eorum filios*, *numer.* 132. *Peregrinus de jure fisci*, *l.* 5. *tit.*1. *num.*173. *Aragon.* 2. 2. *qu.*11. *art.*3. *fol.* 347. *col.* 2. *versic. Infero tertiò*, *Molina tom.*1. *de just. disp.*95. *col.* 10. *versic. Licèt autem hæreticus*, *Azor. tomo* 1. *instit. moral. l.*5. *c.*7. *qu. ultima*, *Vasquez* 1. 2. *quæst.*96. *art.* 5. *disp.*172. *cap.* 2. *numero* 7. *&* 8.

69 Quidam temperant, ut fiscus teneatur refundere pretium repertum in bonis delinquentis, nisi emptor conscius fuerit criminis venditoris, tunc enim tamquam fraudem ejus participans, privabitur omnino sui pretii recuperatione. Sic *Scaccia eo num.*16. *&* 23. *Andr. Gail. de pace publica*, *lib.* 1. *cap.*19. *num.*12. Verùm cum nullo jure inveniatur hæc pœna statuta emptori, illam non credo. Et ita contrarium sustinent *Montepicus ea l. Post contractum*, *num.*42. *Bossius eodem num.*77. Et clarè etiam *Alciatus d. l. Post contractum*, *nu.* 23. ait enim sententiam *Bartoli*, quam nos amplectimus, & *n. præcedenti* retulimus, procedere, quando emptor conscius fuit, & ita sentit tunc restituendum ei pretium, quatenus in bonis delinquentis repertum fuerit. In eamdem partem inclinat *Vasquez eadem disp.*172. *cap.*2. *num.*8. ait enim se non videre, cur emptor nullam culpam emendo patrans, quantumvis hæresim norit, id pretium amittere debeat: nisi fortè (inquit) quia præsumitur aliqua culpa ejus, quando contraxit, ut paulatim ea bona occultarentur, nè fiscus ea apprehenderet. Quidquid tamen in hoc sit, fatendum est non privandum emptorem pretio, donec condemnetur. Quia privatio hæc est in fraudis pœnam.

70 Dicitur autem pretium esse in bonis delinquentis, quando vel apud ipsum extat, eò quòd nondum sit consumptum, vel si non extet, versum est in utilitatem ipsius, quia scilicet eo ditior effectus est, eaque utilitas in fiscum redundat: quippe qui locupletiorem delinquentis substantiam occupabit. Ut optimè explicant *Simancas eodem tit.*9. *num.*31. *Vasquez eodem cap.* 2. *nu.* 7. Hoc autem contingit, si delinquens se, vel suam familiam pecunia illa mutuo, vel in rei venditæ pretium accepta aluerit. Quia est alienatio necessaria, ad quam fiscus occupans bona tenebatur, dum sententia non est subsecuta. Ita *Simancas*, *numer.* 34. *&* 35. *Scaccia*, *num.*16. *Villagut. Azor.* allegati, *numer.* 68. Et idem eadem ratione est dicendum, si ea pecunia sit expensa in valetudinem suam, vel familiæ, vel in ejus funus. Ita *Simancas*, *num.* 37. *Azor. ibidem*. Similiter si ea pecunia delinquens res suas meliores effecerit. Nam ea melioratio infisci utilitatem cedit. *Simanc. nu.*32. Idem est, si eam delinquens creditoribus suis solverit. *Simanc. numer.*33. *Scaccia eo num.*16. *Quemada ea quæst.*7. benè limitans, quando fiscus tenebatur eis creditoribus satisfacere. Quia tunc agitur negotium fisci, quale non ageretur solvendo aliis. Idem est, si horreum necessarium, vel quidpiam simile, delinquens eis pecuniis ædificarit, aut ædificium ruinam minans refecerit. Si oliveta restaurarit, si vites propagarit, arbusta coluerit, seminaria fecerit, flumina congestis aggeribus averterit. Quippe omnia hæc in rei familiaris publicandæ, & subinde fisci utilitatem emergunt. Ita *Simanc. n.*36. *& Azor. ibi*. Idem est, si pecunia illa redemit censum, aut censum, vel aliam rem emit, quæ in bonis delinquentis reperiuntur. *Simancas num.*32. *Scaccia*, *Quemada*, *Villagut. ibid.* Et denique ut omnia unico verbo complectar, quando pretium illud versum fuit in utilitatem bonorum delinquentis; atque illa utilitas ad fiscum cum bonis defertur. Ita *Covar. Repertorium Inquisitorum*, *& Quemada* relati, *num.*68.

71 Quidam hanc utilitatem extendunt, ut censeatur pretium in bonis delinquentis extare, quando in res necessarias, aut utiles versum est, quamvis postea res ipsæ casu perierint. Exempli causa, si delinquens frumentum mutuo acceperat ad familiam alendam, & id in horreo positum periit, vel iis pecuniis, emit servum necessarium, aut equum, qui postea periere; atque ita dicunt in hoc casu esse pretium emptori restituendum, tamquam existens inter delinquentis bona. Sic tradunt *Simancas eod. tit.*9. *num.* 38. *Azor. d. c.*7. *quæst. ult. ad finem*. Sed *Vasquez. d. disp.*172. *cap.*2. *num.*9. *&* 10. hec reprobat dicens multò probabiliùs esse in hoc eventu non esse pretium emptori restituendum, sed tunc tantùm, quando extat actu in bonis ipsius delinquentis eo modo, quo *num. praced.* explicuimus. Atque ita ait, ut pretium dicatur extare, spectandum esse tempus rescissionis contractus: quocirca parum refert rem illam priùs conversam esse in utilitatem, si res illa empta casu periisset, vel tempore rescissionis non extaret. At placet prior sententia. Quia cum delinquens esset in eas res necessarias expensurus propriam pecuniam, nec ob id minùs periissent, minus patrimonium publicaturus esset fiscus ea pecunia non accepta mutuo, aut in pretium, ac proinde consumptio non redundat in damnum fisci, qui ea pecunia non accepta non esset majus patrimonium, sed tantumdem publicaturus. Quare si emptori, vel mutuanti ea non redderetur, evaderet utique locupletior cum jactura emptoris, vel mutuantis.

72 Incumbit autem emptori, aut mutuanti, probare pecunias illas conversas esse in utilitatem, ut sic restituendæ sibi sint. Quia fiscus à tempore delicti habet jus in universa delinquentis bona, & ita est in possessione: quare exigens ab eo pretium, vel pecunias, debet probare ea in utilitatem conversa; ut vel sic non obstante suo antiquiori jure, teneatur ea solvere. Atque ita asserunt *Quemada in suis quæstionibus fiscalibus qu. septima*, *Simancas de cathol. institut. titulo nono à num.* 39. *usque ad* 52. ubi fusissimè tractat, qualiter hoc probandum sit. Et summatim complectendo, quæ ibi latiùs probat, ait non exigi in emptore, vel mutuante bona fide dilucidas probationes, sed satis esse probabiles conjecturas. Ut si probetur eum indigentem fuisse tempore venditionis, vel mutui, & addunt aliquæ aliæ præsumptiones, quibus verisimile fiat pecunias in alimenta familiæ, aut in rem aliquam utilem, aut necessariam, esse consumptas. Similiter si eo tempore indigebat pecunia ad reparandam domum, atque domum reparavit, quia tunc est verisimile iis pecuniis reparasse. Atque ita concludit *nu.*49. *&* 50. quoties creditor probaverit delinquentem indiguisse eo tempore, quo pecunias accepit, toties est verisimile eas in rem illius esse versas, nec eas perdidisse, sed eis se, suamque familiam aluisse: idque multò magis procedere, si creditor probet etiam post acceptas illas pecunias delinquentem ædificasse, aut refecisse, aut emisse, aut simile quidpiam fecisse. Demum confessio sola rei asserentis pecunias eas non esse conversas in suam utilitatem, non sufficit ad ementem, & mutuantem eis privandos. Ut benè notat *Vasquez ea disp.* 172. *c.*2. *nu.*11. *in fine*.

73 Ex his deducitur, quotiescumque bona hæreticorum possidentes quocumque titulo, non habent probabiles conjecturas explicatas *num. precedenti* conversionis pretii in utilitatem, teneri ea bona manifestare, quando hæretico condemnato jubentur edictis manifestare. Quia tunc potius est fisci jus. Secùs autem, quando hæ adsunt. Quia tunc potius est creditorum jus.

SUMMARIUM.

*Qualiter fiscus teneatur solvere creditoribus ejus, cujus bona publicantur? num.*74.
*Quid si debita sint tantùm naturalia? num.*75.
*Quid si sint contracta post delictum? num.*76.
*Cui incumbit probare ea contracta ante delictum, vel post, & an sufficiat delinquentis confessio? num.*77.

Quan-

*Quando bona sunt in diversis territoriis, uter fiscus sit soluturus debita? num.*78.
*An fidejussor illius delinquentis conventus ad ea debita solvenda, possit excipere contra fiscum, non factam esse bonorum excussionem, quæ à fisco publicata sunt? num.*79.
*An quando est locus via executiva contra delinquentem, sit quoque contra fiscum? num.*80.
*An fiscus sola summaria debiti informatione debeat illud solvere? num.*81.
*An instantia cœpta contra delinquentem, sit prosequenda contra fiscum? num.*82.
*An fiscus teneatur facere inventarium, & eo non confecto, teneatur ultra vires bonorum, quæ occupavit? num.*83.
*An publicatis bonis tutoris, vel curatoris, sit exigenda ratio cœtæ, & tutela à fisco? num.*84.
*An condemnatus possit exigere bona à suis debitoribus, & illi satisfaciant solvendo fisco? num.*85.
*An publicatis bonis, liberetur condemnatus obligatione solvendi creditoribus, quamvis ad pristinum statum restituatur? Anum.*86. *usque ad* 91.
*An similiter liberetur ejus fidejussor? num.*94.
*An expensæ factæ in lite per fiscum, præferenda sint creditoribus condemnati? num.*93.
*An fiscus præferatur creditoribus ex delicto, quando certa pars est illi applicanda, & certa parti? num.*94.
*Quid si fisco pœna, parti autem applicetur interesse? num.*95.

74 QUæstio ultima. Qualiter fiscus teneatur satisfacere creditoribus ejus, cujus omnia bona publicantur? Et constat eum teneri ad omnia debita ante delictum ab his contracta. Deciditur expresè reddita hujus ratione *l. Non possunt* 11. *ff. de jure fisci*, ibi: *Non possunt ulla bona ad fiscum pertinere, nisi quæ creditoribus superfuturæ sunt. Idem enim bonorum cujusque esse intelligitur, quod ari alieno superest*. Quòd si non omnia bona, sed sola pars publicetur, tenebitur pro rata illius partis. Constat ex *l. fin. C. de debitoribus civitatis*, *lib.*11. ibi: *Pro ratâ eorum, quæ possident, conveniantur*. Et ex *l.* 1. *C. de fidejussoribus*, ibi: *Si Lysias adempta parte bonorum exulare jussus est, non nisi pro parte, quam retinuit, creditoribus obligatus est*. Et *l. Si marito* 32. *ff. soluto matrim.* Et fatentur universi.

75 Quod quidem verum habet, non solùm si debita sint civilia, sed etiam si solùm sint naturalia, idest, ad quæ recuperanda non dat actionem jus civile, sed solo jure naturali debentur. Quòd sint cerè debita, ad quæ solvenda adstringebatur condemnatus. Ita tradunt *Imola l. Si mandatori, in fine principii, ff. de fidejusser. Jul. Clar. in sua pract. l.*5. *qu.* 78. *num.*23. *Bald.* ut eum refert, & sequitur *Peregrinus de jure fisci*, *l.*5. *tit.*1. *num.*86.

76 Dixi autem *ante delictum contracta*, nam ad contracta post illud non tenetur fiscus, nisi quatenus in suam utilitatem cesserе: eò quòd reperiatur in bonis delinquentis, vel aliquid loco eorum. Ut constat ex dictis *à nu.*68.

77 Quòd si quæras, cui incumbat probare ea esse contracta ante delictum, aut post? *Cantera in suis qu. criminalibus titul. de quæstionib. tangentibus punitionem delictorum cap.*1. *num.* 21. sic distinguit, si fiscus opponat creditoribus esse obligationem contractam post crimen, incumbit creditoribus probare eam antea contractam esse: si verò creditores opponant contractam ante crimen, incumbit fisco probare contractam esse post illud. Sed existimo incumbere semper fisco onus probandi ea debita pesse crimen esse contracta. Quia cum constet de debito, creditor habet fundatam suam intentionem, ut sibi solvatur à debitore, & quocumque in ejus bona succedente: exceptio autem fisci, quò se hac obligatione liberet, est ea contracta esse post crimen. Ergo fisci est hanc exceptionem probare. Ut in simili probavi loquens de arrhis *lib.*6. *de matrim. disp.* 53. *num.* 4. Nec esse contracta post crimen, probabitur sola delinquentis confessione, sed id aliunde etiam est probandum. Quia confessio, seu testimonium unius, non satis est in creditorum præjudicium. Quod optimè tradit *Simancas de cathol. instit. tit.*9. *num.* 60.

78 Nòn tenetur tamen fiscus unius territorii, quando in diversis sunt bona publicata, solvere debita in alieno territorio contracta, sed sola in suo, nisi in subsidium, ubi illa bona non satis essent ad solvendum. Quia quamvis creditor habens diversa bona sibi obligata, eligere valeat, ex quibus satisfieri sibi velit, etiamsi bona sint in diversis territoriis sita: ut per *Bartolum l. Pupillus*, *ff. de his, quæ in fraud. credit. & l. Privilegia ff. de privileg. credit.* quia tamen ubi pars bonorum est sita in diverso territorio, facile esset defraudare fiscum unius, privando illum propter debita universis bonis publicatis, altero fisco manente illæso: ideò ad evitandam hanc fraudem, æquius est, ut quilibet fiscus debita sui territorii solvat, & non ultra, nisi in subsidium, ubi altera non sufficiunt. Sic contra alios probat aliis relatis *Farinacius in sua practica*, *in nova editione*, *tomo* 1. *par.* 1. *titulo de delictis*, *& pœnis*, *quæst.*25. *nu.*173.

79 Usque adeò autem tenetur fiscus ad hæc debita solvenda, ut sicut fidejussori convento à creditore est integrum excipere nondum principalis debitoris bona excussa esse, juxta *auth. Præsenti*, *C. de pignor.* ita eadem exceptio competit fidejussoribus illius condemnati adversùs fiscum, posunt enim petere excuti priùs bona à fisco publicata. Quia cum succedit in bona principalis debitoris, succedit etiam in id onus, quo affecta sunt. Sic multis Doctoribus allegatis probat *idem Farinacius eadem qu.*25. *nu.*171.

80 Atque quoties viæ executivæ esset locus adversùs condemnatum, est quoque eidem locus contra fiscum ejus bona occupantem. Quod constat ex ratione proximè allegata. Et tradunt *Rolandus consil.* 31. *num.*36. *vol.* 1. *Jas.* ut eum refert & sequitur *Duennas regul.*277. *ampliatione* 4. *Parlador de rebus quotidianis lib.*2. *cap. finali*, *par.*4. §. 2. *num.*

81 Debet quoque creditoribus illis, prævio solo debitorum summario examine, & sola veritate inspecta, nec expectata sententia diffinitiva, solvere. Ut probat textus *l. Si quis posthac* 9. *in princ. C. de bonis proscript.* ibi: *Si quis posthac stylum proscriptionis exceperit, uxor ejus res proprias, ex quocumque titulo sibi quæsitas, veluti manu injecta mox vindicet: aut certè quoquo modo occupatas, statim recipiat*. Ea enim particula, *statim*, summariam cognitionem importat, *l. Rei momentaneæ*, *C. unde vi*. Sic tradunt *Bart. l. Res quæ* §. *Res autem n. unico*, *ff. de jure fisci*, *Bald. c. Quoniam contra*, *nu.*27. *de probat. Paul. l. si marito* 32. *in princip. nu.* 2. *ff. soluto matrim. Salic. d. l. Si quis posthac*, *in princ. num.* 1. *in fine*, dicens judices contrarium agentes maximum animarum suarum detrimentum pati. *Joan. de Amicis consil.* 68. *nu.*8. *Gomez Arias l.*76. *Tauri*, *num.* 3. *Jul. Clar. in sua pract. lib.*5. *qu.*68. *n.*28. *& ibi Bajard. in addit. n.*162. *Peregr. de jure fisci*, *lib.*5. *tit.*1. *nu.*54. *vers. Creditorum autem*, *Farin. in sua pract. in nova edit. tom.*1. *par.*1. *tit. de delictis*, *& pœnis*. *qu.* 25. *num.*176.

82 Quòd si petas, an instantia cœpta contra delinquentem, sit prosequenda contra fiscum, coram eodem judice? Quæstio est difficilis, variisque opinionibus implexa, quam optimè, & latissimè discutit *Barbosa l. Si constante*. 25. §. *finali*, *à num.*15. *usque in finem*, *ff. soluto matrim.* Et ideò breviter dico veriorem sententiam esse, eam instantiam minimè prosequendam esse contra fiscum, sed ea prorsus pereunte, novam contra illum inchoandam, coram ejus judice. Hujus sententiæ multos Auctores refert *ibi Barbosa num.*17. & tandem *n.*19. illam approbat, solùmque differt in ratione ejus tradenda. Communiter enim confugitur ad speciale fisci privilegium in hoc. At *Barbosa* nititur hoc privilegium impugnare, dicitque rationem legitimam esse, quòd sola repræsentatio personæ defuncti in hærede, efficiatur ut instantia cœpta contra defunctum transeat adversùs hæredem. At cum fiscus non sit propriè hæres, & subindè nec propriè repræsentet personam condemnati, (ut probavi *c.*14. *n.*4.) inde est, ut instantia nova sit contra fiscum, tamquam contra novum reum inchoanda.

83 Ex quo fit, ut quamvis hæres teneatur conficere inventarium, & eo non confecto adstringatur ad debita solvenda ultra hæreditatis vires: at quia fiscus non est propriè hæres, nec tenetur inventarium conficere, nec eo non confecto adstringitur ultra bonorum publicatorum vires. Ita docent *Guillelmus Benedictus c. Raynutius*, *verb. Et uxorem*, *decisione* 5. *num.*288. *de testamen. Bossius in sua practica tit. de bonorum publicatione*, *num.*23. *Julius Clarus in sua practica*, *libro* 5. *quæst.* 78. *num.* 30. *Peregrinus de jure fisci*, *libro* 5. *tit.* 1. *numer.* 64. *Zavallos in suis communibus opin. tomo* 3. *quæst.*822. *n.* 13. *Farinarius* multos referens *d. qu.*25. *num.* 13. *& duplici sequenti*.

84 Ex dictis infertur primò, si bona tutoris, vel curatoris confiscentur, esse exigendam rationem tutelæ & curæ à fisco: debet enim onera hæc, sicut alia damnati subire. Et ita deciditur expresè *l. Si tutor reipublicæ* 9. *ad finem*, *ff. de tutel. & rationibus distraben.* Et docent *Simancas de cath. instit. tit.* 9. *num.*123. *Vasquez* 1. 2. *q.*96. *art.*5. *disp.*169. *c.* 2. *num.*21.

89 Secundò infertur, condemnatum publicatis ejus bonis privari actione adversùs suos debitores. Quippe cum in omnia sua jura activa succedat fiscus, ei competit adversùs eos actio *l.*2. *C. ad leg. Juliam*, *de vi publica*, *& l. Si debitori deportatio* 48. *ff. de fidejussor.* Atque cum similiter passiva condemnati jura transeant in fiscum, debitores condemnati liberantur solvendo fisco. Et ita cum *Bart. Decio*, *& aliis* sustinent *Peregrinus d. tit.* 1. *n.*54. *Bossius in sua pract. tit. Debitores an delinquenti solvere possint*, *num.* 3.

86 Tertiò infertur, facta bonorum confiscatione ita debita transire in fiscum, ut in posterum nulla superstit actio creditoribus condemnati contra ipsum condemnatum, sed tota prorsus in fiscum transfertur: qui pro eorum debitorum solutione conveniendus est; adeò ut quamvis damnatus posteà pinguiorem fortunam adipiscatur, non tenetur ad ea debita. Constat ex *l.* 1. *C. de fidejuss.* ibi: *Si Lysias adempta parte bonorum exulare jussus est, non nisi pro parte quam retinuit, creditoribus obligatus est*. Et *l. Si debitori* 48. *in principio*, *ff. de fidejussor.* ibi: *Si debitori deportatio irrogata est, non posse pro eo fidejussorem accipi*, *scribit Julianus: quasi tota obligatio contra eum extincta sit*. Atque ita docent *Baldus l. Si marito* 32. *in fine principii*, *ff. soluto matrim. & ibi Ang. num.*1. *Alex. num.*4. *Chass. in consuetudinibus Burgundiæ*, *rubric.* 2. §. 1. *nu.*33. *Boss. in sua pract. tit. de proclamatione*, *numer.* 14. *Plotus inter consilia criminalia Zileti*, *tom.*1. *consil.*130. *num.*83. *Quemada in suis quæst. fiscalibus*, *quæst.* 20. *ad finem*, *Peregrinus de jure fisci*, *lib.* 5. *tit.*1. *n.u.* 55. *Farinacius* alios referens *in sua practica*, *in nova editione*, *tomo* 1. *p.* 1. *tit. de delictis*, *& pœnis*, *quæst.*25. *num.*177. *Simancas de cathol. institution. tit.*9. *num.*122. *Vasquez d. disp.* 169. *c.* 2. *num.*20.

87 Quod

87 Quod quidem adeò verum est, ut nec naturaliter, ac proinde nec in foro conscientiæ, teneatur postea condemnatus hic ad ea debita persolvenda. Quia textus *num. præcedenti* relati liberant condemnatum hac obligatione, & totam illam in fiscum transferunt. Quare cum nec in pœnam id statuant, nec falsæ præsumptioni innitantur, est eorum decisio in utroque foro servanda. (Ut constat ex regula tradita *libr. præcedenti c.10. num.* 11.) Atque ita contra *Glossam l. Ubicumque* 63. *verbo, Fideiussorem, ff. de fideiussor.* dicentem manere hunc naturaliter obligatum, instar cedentis bonis, tradunt *Glossa l. Si debitori* 48. *verbo, Fideiussorem, & verbo, Totæ, ff. de fideiussori. Bar. ea l. Ubicumque nu.*5. *& ibi Paulus n.* 2. *Idem Bart. l. Quoties* 14. *n.*3. *ff. de novationibus, & l. Finali, statim in principio, oppositione* 1. *ff. de duobus reis, & l. Inter eos* 52. *in fine, ff. de fideiussor. Dynus* ut eum refert, & sequitur *Bald. l. Si verò, in principio, n.*2. *vers. Extra quæro utrum, ff. qui satisdare cogant. & l. Tam mandatori, num.*2. *C. de non numer. pecunia, Chass. d.* §.1. *n.*33. *Peregrinus eodem tit.*1. *n.* 55. *Surd. de alimentis tit.*8. *privilegio* 59. *num.*10. *Bajard.* alios referens *addit. ad practicam Julii Clari, lib.*5. *q.*78. *nu.*155.

88 Id etiam est verum, quamvis ex beneficio principis condemnatus hic ad pristinum statum restituatur, dummodo ei non restituantur bona, secùs si ei restituantur. Quia actiones passivæ debitoris transierant in fiscum per confiscationem: & ideò quod bona illa usurpet fiscus. Ergo dum hæc non restituuntur condemnato, manet eadem obligatio apud fiscum. Ita *Baldus l. Si marito* 32. *in fine principii, ff. solut. matrim. & ibi Angelus nu.*1. *Alexand. num.*4. *Bossius in sua pract. tit. de proclamatione, num.* 15. *in principio, & in fine, Sfortias Oddo de restitut. in integrum, p.* 2. *q.*97. *art.*2. *n.*13. *Farinacius ea qu.*25. *n.*179. Qui *à num.* 180. multis aliis citatis probat idem dicendum esse, si restituatur ad aliquam quotam illorum partem, tenebitur enim pro rata illius partis ad debita priora: secùs ait, si ad rem solam particularem restituatur. Quod idem ait *Simancas eodem tit.*9. *n.*122.

89 Est tamen limitandum, ut non teneatur condemnatus hic amplius ad ea debita, ut intelligatur, quando bona illa publicata satis fuere ad illa solvenda, secùs autem tenebitur ad id, quod defuit. Quia obligatio illa quatenus valorem bonorum publicatorum excessit, non potuit in fiscum transferri. Sic *Quemada in suis quæst. fiscalibus qu.*20. *ad finem, Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.*169. *cap.*2. *numer.* 21.

90 Secundò limita, ut intelligatur, si omnia bona publicentur, nam si sola bonorum pars, tenebitur fiscus pro rata, & pro rata condemnatus. Ut expresè habetur *l.* 1. *C. de fideiussor.* Et docent *Plotus eodem consil.* 130. *nu.*83. *Simancas eodem tit.*9. *num.*122. *Farinacius* alios referens *eadem qu.* 25. *num.*178.

91 Tandem limitarem, quando potuere creditores à fisco recuperare, & sua negligentia non recuperarunt: secùs autem quando non potuere, aut quia defectu probationis causa cecidere, aut quia magnis expensis opus erat: neque enim æquitas patitur creditores illos re sua absque omni culpa privari.

92 Quamvis autem damnatus hic obligatione solvendi suis creditoribus liberetur: si tamen obligationi fidejussor accesserat, poterit fidejussor conveniri. Constat ex *l.* 1. *C. de fideiuss.* ibi: *Verùm qui pro eo fidem suam adstrinxerunt, convenire possunt*; & *l. Sententia* 20. *C. eodem tit.* ibi: *Sententia bonorum omnium ademptionem continente, rei damnati principalis intercessores eligendi, creditori potestas non adimitur.* Et multis citatis docet *Farinacius eadem qu.* 25. *num.*178.

93 Demum superest duplex difficultas. Prior est, an expensæ factæ in lite per fiscum publicantem bona, sint preferendæ creditoribus condemnati: atque ita si bona non satis sint ad utrumque persolvendum, expensæ illæ sint priùs detrahendæ? Quidam eas præferri affirmant. Ducuntur, quòd fiscus in hoc agat utiliter negotium creditorum. Sic tradunt *Matth. de Afflictis c.*1. §. *Et bona committentium, n.*119. *tit. Quæ sint regalia, in usibus feudorum, Peregr. de jure fisci, lib.*5. *tit.* 1. *num.*193. At verius est minimè præferri. Quia princeps ad persecutionem delinquentis tenetur suis expensis, & omnes expensæ factæ ad criminis punitionem incumbunt fisco. Ut tradunt Doctores *l.* 1. *C. de mulier. quæ se public. commit.* Atque ita latiùs probant, & multis citatis docent *Hieronym. Laur. in decis.*121. *Rota Aveniomensis, num.*4. *Bajardus addit. ad Julium Clarum, in pract. lib.*5. *qu.* 78. *num.*169.

94 Posterior difficultas est. An fiscus præferatur creditoribus ex delicto, idest, an quando delinquenti pœna aliqua pecuniaria indicitur, partim fisco, partim autem alii privato applicanda, nec condemnatus sit utrique parti solvendæ, præferatur pars fisci? Quidam eum præferendum negant. Quos refert *Covarr. lib.* 1. *var. cap.*19. *nu.* 8. At merito ab illis discedit *ibidem* dicens præferendum fiscum, *l.* 1. *C. pœnis fiscalibus credit. prafer. libro* 10. *& l. Quod placuit* 37. *ff. de jure fisci.* Idem tradunt *Farinacius dict. quæst.* 25. *nu.*188. *Julius Clarus in sua practica, lib.*5. *qu.*78. *num.*31.

95 Si tamen ob idem delictum, ob quod bona publicanda veniunt, & eadem sententia damnetur delinquens ad pœnam applicandam fisco, & ad partis interesse pro emenda damni illati ex eo delicto, præferendum est interesse partis. Quod benè tradit *Farinacius ibi num.*189.

CAPUT XXIII.

Qualiter confiscentur fructus bonorum percepti à tertio possessore, in quem hæretici, aut alii, quorum bona ipso jure publicarentur, ea post delictum alienarant?

SUMMARIUM.

*Quot quæstiones disputandæ sunt? num.*1.
*Qualiter possessor bona fidei teneatur rem alienam apud se extantem restituere? num.*2.
Quid si res illa sit consumpta? Refertur quædam sententia, numero 3.
*Explicatur sententia Auctoris, num.*4.
*Quid si culpa possessoris bona fidei periit? nu.*5.
*An pugnans in bello, de cujus justitia dubitabat, teneatur eo postea comperto injusto restituere, quando ratione obedientiæ à culpa liber fuit: aut quando dubius permansit? nu.*6.
*Explicatur quando possessor dicatur factus ex re aliena locupletior, num.*7.
*Quid si factus sit locupletior ratione industriæ? num.*8.
*Qui equo subrepto vectus bona fine iter agit, alias iturus pedester, an teneatur aliquid restituere? nu.*9.
*An dispiciendum, an quis factus sit ditior, an spectandus sit punctus, in quo cessat bona fides: & an referat ad hoc, pretium diù retentum esse? nu.*10.
*An possessor bonæ fidei factus ditior ex re aliena, si ubi cognovit rem esse alienam, ignorans se tenere restituere id, in quo ditior evasit, id consumpsit, teneatur restituere? nu.*11.
*An si non occasione rei alienæ factus sit ditior, aut pauperior, sed per accidens, conferat id ad obligandum, aut deobligandum? num.*12.
An cum vestis pretiosa est consumpta bona fide, non tamen omnino, sat sit restituere vestem vilem aliàs consumendam? numer. 13.
*An quando id, in quo factus est ditior, superat valorem rei bona fide consumptæ, sit id totum restituendum? num.*14.
*Impugnantur dicentes tunc dici possessorem bonæ fidei effici ditiorem, quando non sit pauperior, nu.*15.
*An possessor bonæ fidei emens rem alienam, & durante bona fide vendens eodem pretio, teneatur suo emptori aliquid restituere? Refertur duplex sententia, num.*16. *&* 17.
*Explicatur sententia Auctoris, num.*18. *&* 19.
An si venditori huic bona fidei postea innotescat rem esse alienam, teneatur emptorem suum, aut verum dominum monere? num. 20.
An si emptor hic posterior sciens rem esse alienam, restituat domino, non admonendo priùs eum, qui sibi bona fide vendidit, teneatur hic venditor restituere illi pretium? num. 21.
An si venditor bonæ fidei consumpserit pretium, teneatur illud suo emptori restituere, quando res vendita evincitur? numero 22.
An emens bona fide rem falsam pro vera, si eadem durante vendat eodem pretio, teneatur suo emptori restituire? numero 23.
An vendens bona fide rem alienam eodem pretio, quo emerat, teneatur pretium vero domino restituere? Refertur opinio, numero 24.
*Explicatur sententia Auctoris, & quæ dicantur judicia universalia, & quæ particularia, num.*25.
Quid si bona fide commutet rem alienam pro alia, an teneatur rem in commutationem acceptam, restituere vero domino? numero 26.
*An vendens fide rem alienam auctiori pretio, quàm emerat, teneatur id pretii augmentum vero domino restituere? Refertur quædam sententia, num.*27.
*Explicatur sententia Auctoris, num.*28.
*An bona fide vendens rem alienam sibi donatam, & postea minori pretio redimens, teneatur rem, & lucrum illud domino restituere? num.*29.
*An donans bona fide rem alienam sibi donatam, si donatarius aliquid via remunerationis iterum ei donet, sit hoc vero domino restituendum, & in hoc censeatur ditior, vel eo solum quòd alter ad antidora maneat obligatus? num.*30.
*Vendens bona fide rem alienam apposita pœna non solventi termino statuto, an teneatur eam pœnam sic partam, restituere domino? num.*31.
*An bona fide credens rem aliquam ad se pertinere, quam nondum apprehendit, & ob id lautiùs vivens, possit ex re illa detrahere excessum illum? num.*32.
*An bona fide consumens res consumptibiles unico usu, teneatur verò domino restituere, quatenus locupletior evasit? Refertur quædam sententia, num.*33.
*Explicatur sententia Auctoris: & quando accipiens hujusmodi res à latrone, fiat earum dominus, & quando latro similiter fiat dominus? num.*34.
*An bona fine rem suam vendens nummis furtivis, teneatur eos nummos restituere? num.*35.
*Quando dubium est, an possessor bonæ fidei evaserit ditior, quid judicandum? Refertur quædam sententia, num.*36.
Explicatur sententia Auctoris, num, 37. *&* 38.

Quid

Quid in hoc dubio judicandum, quo ad restituendi onus? numero 39.
Post num. 39. *invenies alia summaria.*

1 QUæstio hæc gravissima est. Petit enim qualiter possessor bonæ, & malæ fidei, teneatur fructus ex re aliena perceptos restituere. Quam, & textuum inter se contrarietas, & opinionum diversitas difficillimam reddit. Et ideò qua claritate potuero, illam enodabo quæstionibus agitatis. Et quamvis recto ordine servato, prima esse deberet, quis dicatur, bonæ, & malæ fidei possessor: quia tamen diversimodè hi judicantur quo ad præscriptionem, & quo ad fructus acquirendos, oportet præmittere quæstiones, quæ ad fructus pertinent. Sex ergo quæstiones disputandæ sunt. Prima est, qualiter in genere teneatur possessor bonæ fidei restituere. Secunda, qualiter teneatur hic ad fructus perceptos. Tertia, qualiter eos restituere teneatur possessor malæ fidei. Quarta de possessore bonæ fidei uno tempore, vel quo ad unam personam, vel quo ad unum jus: at malæ alio tempore, vel quo ad alteram personam, alterumve jus. Quinta, qualis dicatur possessor bonæ, & malæ fidei, & uter horum censeatur qui dubius est. Ultima, qualiter confiscentur fructus à bonæ, vel malæ fidei possessore percepti ex re habita ab hæretico, vel aliis quorum bona ipso jure publicantur.

2 Quæstio prima. Qualiter in genere possidens bona fide rem alienam teneatur eam restituere? Conveniunt universi teneri rem illam apud se extantem integrè domino restituere, ubi rem alienam esse norit, nullum ab eo pretium exigendo, quo bona fide illam à latrone emerat. Quia cum rem esse alienam norit, nullum ejus retinendæ, aut pretii à vero domino, sed à latrone exigendi jus habet. Habetur expresè *lege* 2. *C. de furtis, & lege Si mancipium* 23. *C. de rei vindicat.* Dum dixi autem convenire omnes, intelligo quo ad hoc, ut res sit restituenda, nullo exacto pretio à vero domino. Nam non modica est controversia an possit reddi latroni ad recuperandum pretium, an potiùs sit reddenda vero domino. De qua in tractatu *de restitutione.*

3 Difficultas autem est, quando bona fide res illa est consumpta. *Adrianus* 4. *tractatu de restitution. quæst. Utrum in foro animæ teneatur homo refundere quantum sua culpa levissima, vel levi alterum lasit, in secundo præsupposito* ait, credentem justa ignorantia rem esse suam, quæ verè non erat, non minùs teneri restituere, si eam destruat, vel alteri donet, quàm si alienam scienter destruxisset, vel donasset. Sed postea §. *penultimo* id videtur limitare, atque ita explicare, ut à sententia nostra *nu. sequenti* explicanda nil discedat. Ejusdem sententiæ sunt *Tabiena, & Armilla* in doctrina, quam ex ipsis referemus *num.*65.

4 Verùm regula certissima est hæc. Possessor bonæ fidei, si res apud illum non extat, nullatenus tenetur restituere, nisi quatenus ex illa factus est locupletior, qualitercumque illam consumpserit, quare si in nihilo factus est locupletior, nil prorsus tenetur restituere. Constat ex *l. Item veniunt* 22. §. *Præter hæc, ff. de petit. hæreditat.* ibi: *Eos autem qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo dumaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos esse.* Idem habetur *l. Sed & si lege* 28. §. *Item si rem distraxit: & lege Si rem, & pretium.* 15. *& l. sequenti, ff. eodem titulo, & l. Nam hoc natura* 14. *ff. de condictione indebiti, & l. regia* 4. *titul.*14. *par.*6. Et ratio est, quia teste *D. Thoma secunda secunda, quæst.* 62. *art.* 6. ab omnibus recepto, obligatio restituendi ex solo duplici capite oritur, nempè, ex injusta acceptione, cujus nomine intelligitur quælibet actio injustè nocens proximo, ut combustio segetum alienarum. Vel ratione rei acceptæ, idest, apud ipsum extantis. At hic possessor bonæ fidei non tenetur ratione injustæ acceptionis, utpote qui in bona fide fuit, & eamdem rem bona fide consumpsit: nec ratione rei acceptæ, cum nec ipsa res, nec aliquid ex illa in suis bonis perseveret, quando inde non evasit locupletior. Ergo tunc ad nihilum tenetur. Quando autem ex illa est factus locupletior id, in quo est factus locupletior, dicitur ex re aliena extare, nec in eo censetur res illa aliena consumpta. Ut optimè docet *Baldus l. Ubi adhuc* 29. *ad finem, vers. Item per glossam C. de jure dotium.* Et constat *ex lege Idem servandum* 78. *ff. de legat.* 2. ibi: *Non enim adsumitur, quod in corpore patrimonii retinetur.* Quare id, in quo factus est locupletior, tenebitur ratione rei acceptæ restituere. Et ideò hanc regulam tradunt *glossa ea leg. Item veniunt, verbo Facti* dicens nullam esse in jure ea veriorem, *Angelus lege Insulam* §. *fructus, nu.*1. *ff. soluto matrim. Astensis* 1. *part. suæ summæ, lib.* 1. *tit.*33. *art.*5. *quæstiuncula* 6. *Major in* 4. *distinct.* 15. *qu.*26. *ad finem, versic. Si Secundum, Angelus in summa, verbo Furtum, nu.*25. *Sylvest. verbo Restitutio* 3. *qu.* 6. *dicto* 2. *versic. Et sexto, Cajetanus secunda secundæ qu.*62. *art.* 6. *colum.*2. *versic. Ad evidentiam hujus, & in summa, verbo Restitutio, cap.*1. *ad finem, & ibi Armilla num.*14. *Victoria de jure belli, num.*33. *Sotus lib.*4. *de justitia, qu.*7. *art.*2. *colum.* 4. *Joannes à Metina de restitutione, qu.*10. *versic. Si autem secundus, Navarr. summa Latina, & Hispana cap.*17. *n.*9. *Covarr. regula Peccatum* 3. *p. in initio, num.*3. *conclusione* 2. *Martinus à Ledesma* 2. *par.*4. *qu.*28. *art.*6. *col.*3. *Cordubа summa, qu.*109. *& in suo qu. l.* 1. *q.*39. *punct.*1. *vers. Igitur quo ad primum punctum. Pedraza in summa præcepto* 7. *fol.* 66. *Bartholomæus à Metina lib.* 1. *summa, cap.*14. §. 30. *ad finem, in regula* 6. *Angles Floribus* 2. *part. tract. de restit. quæst. Quis teneatur ad restitutionem, articulo primo, statim ante* 1. *difficultatem. Ludovicus Lopez* 1. *p. instructorii conscientiæ, cap.*95. *in initio, Rebell. de justit. p.*1. *lib.*2. *quæst.* 3. *n.*1. *&* 2. *Navar. lib.*3. *de restit. c.*4. *in nova editione p.*4. *dubio* 1. *num.*146. *Philiarcus de officio sacerdotis tomo* 2. *p.*2. *lib.*6. *c.*17. *versic. Illi autem omnes, & vers. Sed ut exemplis, Valentia* 2. 2. *disp.* 5. *qu.*6. *puncto* 3. *paulo post principium, & columna* 3. *versic. Quinto quod attinet, Molina tomo* 1. *de justit. disput.* 36. *colum.* 3. *conclusione* 2. *& disput.*246. *columna* 4. *versic. In priori eventu, & tomo* 2. *disput.* 569. *colum.* 4. *versic. Quando aliquid, & tom.*3. *in part. posteriori, disp.* 718. *num.*1. *Vega* 1. *tomo summæ. c.*60. *casu* 11. *&* 12. *Leonardus lib.*2. *de justit. cap.*14. *dubio* 1. *nu.*7. *Mannel.* 2. *tomo summæ, cap.*42. *nu.*1. *Salon.*2. 2. *quæst.*62. *art.*6. *controversia* 2. *in fine, & ibi Aragon. paulo post principium, Bannez eodem art.*6. *dubio* 3. *Sayro in clavi regia, lib.*10. *tractatu* 2. *cap.* 2. *num.*9. *&* 10. *Petrus de Ledesma secundo tomo summæ, tractatu* 3. *c.*14. *post quartam conclusionem, dub.* 3. *dicto* 1. *&* 2. *Toledo lib.*5. *summæ, cap.*17. *num.*10. *Vasquez* 1. 2. *quæst.*96. *art.*5. *disput.* 172. *c.*1. *n.*3. *&* 4. Atque omnes Doctores, quos *nu.* 77. referemus, dicentes possessorem bonæ fidei non teneri ex fructibus consumptis restituere, nisi quatenus ex eis locupletior evasit: omnes enim illi huic regulæ innituntur.

5 Et quamvis aliqui ex prædictis Auctoribus hanc regulam limitare videantur, ut non teneatur possessor bonæ fidei ad alienam rem consumptam, aut amissam restituendam, nisi quatenus ditior ex illa evasit, ut intelligatur, nisi culpa sua sit amissa, aut destructa. Ita *Sotus, Martinus de Ledesma* allegati *nu. præcedenti, Rosella in summa verbo Restitutio* 7. *nu.*19. *Navarr. summa c.*17. *nu.* 7. *Valentia eodem puncto* 3. *colum.*4. *paulo ante versiculum, Controversum est, Philiarcus eodem c.*17. *ad finem.* Imò *Sotus, Martinus de Ledesma, Valentia*, dicunt hunc non teneri, quando absque magna ejus culpa res illa periit. At tamquam certissimum est tenendum, nil pr rius teneri restituere, nisi quatenus est factus locupletior, quantamcumque culpam in ejus rei amissione, aut destructione perpetrarit. Ratio est, quòd nulla culpa, quantumvis gravis, obligationem restituendi inducat, nisi sit contra justitiam. At cum possessor bonæ fidei existimet rem illam esse suam, nullius injustitiæ reus est, sed solius prodigalitatis, rem illam comburendo, & qualitercumque malè destruendo: quare nec tenetur ratione injustæ acceptionis, utpote qui nullam injustitiam admisit, nec ratione rei acceptæ, cum illam ita destruxerit, ut locupletior non evaserit. Atque ita docent *Martinus de Ledesma* 2. *p.*4. *qu.*18. *art.*6. *colum. antepenultima, in fine, & sequenti, Navarra lib.*4. *de restitution. cap.*1. *in nova editione, dub.*3. *nu.*7. *in fine, & libr.* 3. *c.*4. *p.*3. *dub.*1. *nu.*147. *Sayro in clavi regia, lib.*10. *tractatu* 2. *c.*2. *nu.*4. *Molina tomo* 1. *de justit. disp.*246. *colum.*4. *versic. In priori eventu, & tomo* 3. *in part. posteriori, disp.*720. *nu. ultimo, Leonardus lib.*2. *de justitia, cap.*14. *dub.* 1. *nu.*7. *Rebellus de justitia, p.* 1. *lib.*2. *qu.*4. *nu.*13. Atque idem videntur tenere alii Doctores, qui indistinctè tradunt possessorem bonæ fidei non teneri restituere, si res apud illum pereat. Hi sunt *Major in* 4. *dist.* 15. *qu.*26. *ad finem, Angelus in summa verbo Restitutio* 1. *verbo Ementi, num.*4. *Sylvest. verb. Restitutio* 3. 9.7. *dicto* 3. *Tabiena verbo Restitutio, quæst.*24. *nu.*25. *Toledo libr.*5. *summæ, cap.*17. *num.*8.

6 Quare audiendus non est *Sylvester in summa, verbo Bellum* 1. *quæst.*9. *dicto tertio*. ubi ait subditos de belli justitia dubios, quamvis pugnando non peccent, ratione obedientiæ eos excusantis, at cognita postea belli injustitia teneri refarcire omnia damna, & ea quæ consumpsere, etsi locupletiores non evaserint. Sed jure optimo contrarium tenent *Victoria de jure belli, num.*33. *Sotus lib.*4. *de justitia, qu.*7. *art.* 2. *columna* 6. *versic. Horum instar, Martinus à Ledesma* 2. *p.* 4. *qu.*18. *art.*6. *col.*5. *Molina tomo* 1. *de justit. disp.* 113. *columna ultima, versic. Dubium est, & tomo* 3. *in part. posteriori, disp.* 720. *num.*3. *Bannez secunda secundæ, quæst.*40. *art.*1. *dubio* 7. *conclusione* 4. *Salon. secunda secundæ, quæst.*62. *art.*6. *controversia* 3. *ad finem, versicul. Primum igitur, Rebellus de justitia, part.*1. *lib.*2. *quæst.* 4. *num.*14. *Sayro in clavi regia, eodem c.*2. *num.* 5. qui omnes dicunt, quoties milites excusantur à culpa, eo quòd bona fide credunt sibi licere pugnare, excusari quoque à restitutione omnium destructorum, & consumptorum, nisi quatenus ex illis sunt facti locupletiores. Idque constat ex regula tradita *nu.*4. Si autem subditi illi adhuc non obstante obedientia principis manerent dubii practicè de belli justitia, scilicet, an licitè pugnent, tunc tenerentur restituere omnia damna, & quæcumque consumpta, etsi ditiores non evaserint. Quia ratione illius conscientiæ dubiæ adhuc perseverantis, minimè liberantur culpa injustitiæ belli. Et ita docet *Victoria ibidem*, & sic explicat *Sylvestrum*: & verè in hoc casu loquitur *Sylvester*: dicit enim teneri, quando semper dubius permansit, eò quòd fuit possessor malæ fidei. At falsò ait tunc obedientiam excusare à culpa.

7 Cæterùm tunc possessor bonæ fidei dicitur fieri ex re aliena consumpta locupletior, quando occasione illius rei sic consumptæ patrimonium suum est aliquo modo auctum, ut quia sumptus aliquos alioquin ex suo patrimonio facturus non fecit: aut aliquid lucrifecit illius rei occasione. Quòd si patrimonium non crevit, nec illius rei occasione aliquid lucrifecit, non dicitur fieri locupletior. Quare si occasione illius rei bona fide consumptæ, lautiùs, aut splendidiùs vixit, quàm eam non expendens victurus erat, non dici-